



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

Ad Lectorem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

AD LECTOREM.



N tibi Chrysologum; humanissime Lector, non minus eloquentia sana, ac solida eruditione, quam vetustate admirandum: cuius scripta nondum Gallia viderat. Hic non multo post D. Ioannem Chrysostomum, atque plerosque alios Christiana Reipublica columina, vixit: Chrysostomo autem perinde dictionis suavissima copia, & sensus gravitate, atque nomine proximus est. Ille enim os aureum ob eloquentiam raram, hic eadem de causa χρυσόλογος & quasi sermo aureus appellatus est. Neque temere casu hunc tam eximio cognomine dignatum esse mirabitur, quisquis intuebitur parem phraseos maiestatem cum absoluta eruditione coniunctam esse. Tanta enim ubique puritas dictionis citra affectationem, deductionem, translationemque verborum, citra violentiorem coactioremque interpretationem: ut tanquam è riuulo, limpidissima facilitate, tota fluat oratio. Ad eò, ut si cum hoc quosdam neotericos τῆς ἑπιτομῆς γράφουσ, aut commentatores conferas, Pygmeum Atlanti comparare videaris. Siquidem his plerisque praclarum esse apparet, inculto ac monstroso contextu, horrido stylo, omnis generis ultro, citroque authoritates scripturarum accerfere, velutique centones confarcire sine omni gratia. Nonnullis receptum est dicendi illecebra lectoris animum retinere suspensum. Qui hoc ipso perniciosiores sunt, quod elocutionis ornamentis, & dicendi virtutibus nimium indulgentes sine consilio quocumque rapuit animi impetus, aut quod inanis persuasio dicat, eo feruntur: Nunc in suas conceptas opiniones plenis velis euagantes, nunc in contrarias sententias maledicentissime inuehentes. Atque ita fit, ut vim scripture facientes, eam suis paradoxis accommodent: atque vio-

len

sentis interpretationibus, suis opinionibus, moribus & erroribus, tanquam Lesbiam regulam inclinent. Cum æquius esset, & Christiana sinceritate dignius ad sacram scripturam, velut Lydium lapidem, veritatem explorare, affectus impotentiores reuindere, atque inuetas, parumque pias opiniones corrigere: ut tandem ex illo barbarico cœno emergerent, atque è lethargo illo exitiali veritatis lumine illustrati expergiscerent. Quanto hic modestior sacrarum literarum interpretæ pia eloquentia & eloquenti pietate conspicuus, comoda sincereque interpretatione quosque obscuros scripturæ locos dilucidans: ita ut nihil intortum, nihil durius deductum, aut perperam explicatum inuenias, in quo ipsa sanctitas, integritasque pariter ac exacta doctrina, vel cum quibuslibet sinceris diuinarum scripturarum doctoribus certare queat. Non ille temere & scite parum quoslibet scripturæ locos congerit: verum prudenter & emuncto iudicio, ubi res testimoniis indiget, suo loco adhibet, ad suam sententiam muniendam & confirmandam. Atque illud demum est fructuose scripturam interpretari. Hoc vniuersam imitentur huius aui partim concionatores, partim scriptores, & maiori cum authoritate, tum gratia auditi, vberiore verbi Dei messem demeterent. Hunc ergo authorem dignissimum iudicamus, quem perpetuo habeas præ manibus: cuius piis dogmatibus non mediocriter ad sacras conciones instruendas inuari poteris. Vale.